

LB I DES. ERASMVS ROTERODAMVS IOANNI COLETO, DECANO SANCTI PAVLI  
APVD LONDINVM S.D.

Non possum equidem non vehementer laudare, Colete, singula-  
rem istam vereque christianam animi tui pietatem, qui conatus  
tuos omneis, omnia vitae studia semper huc destinaris, non vt tuis  
priuatim commodis consuleres, sed vti patriae ciuibusque tuis  
quamplurimum prodesses. Neque minus admiror iudicium, qui  
duas praecipue res delegeris, quibus id cumulatissime consequi  
posses. Videbas enim amplissimum charitatis fructum in eo situm  
esse, si quis assiduis concionibus sacraque doctrina Christum po-  
pularium suorum animis inserat. Quo tu quidem in negocio iam  
annos complureis versaris, non dicam quanta cum laude, quam tu  
adeo non spectas vt nec admittas, sed certe magno cum fructu.  
Quo nomine Paulus ille tuus alioqui modestissimus subinde glo-  
riatur ac sese sancta quadam insolentia iactat. Deinde quod prox-  
imum existimabas, ludum literarium longe pulcherrimum ac ma-  
gnificentissimum instituisti, vbi sub electissimis ac probatissimis  
praeceptoribus Britannica pubes rudibus statim annis simul et  
Christum et optimas imbiberet literas: nimirum grauiter intelli-  
gens, et in hac aetate velut herba spem reipublicae positam esse,  
et quanti referat in omnem vitam protinus ab incunabulis optimis  
imbui. Iam vero quis non adamet etiam generosam istam animi tui  
celsitudinem ac sanctam (vt ita dixerim) superbiam, qui vtrunque  
hoc in patriam officium ita gratuitum ac syncerum esse volueris,  
vt nec ex tot annorum laboriosissimis concionibus vel teruntio  
factus sis ditior, cumque tua seminaris spiritualia, nullius vnquam  
carnalia messueris, et scholae sumptus, tam videlicet ingenteis vt  
satrapam quoque deterrere possint, solus omneis ferre volueris? Et

cum vulgus hominum nulla in re libentius socium accersere so-  
 30 leat, tu patrimonium, tu censum vniuersum, ad haec domesticam  
 etiam supellectilem, profundere maluisti quam vllum mortalem in  
 istius gloriae partem admittere. Quaeso quid istud est aliud quam  
 in vniuersos tuorum liberos, in vniuersos ciues animum plus quam  
 paternum gerere?

35 Te ipsum spolias ut illos locupletes. Te ipsum nudas, vt illos ornes.  
 Te ipsum laboribus conficis, quo tua soboles vegeta sit in Christo.  
 Breuiter totum te impendis, vt illos Christo lucri facias. Nimium  
 profecto sit inuidus qui talia conanti non impensissime faueat, im-  
 pius qui reclamet et obstrepat, hostis Angliae qui non pro sua viri-  
 li adiumenti aliquid conferre studeat. Ego sane non ignarus et  
 40 quantum Angliae debeam publice et quantopere tibi priuatim sim  
 obnoxius, officii mei sum arbitratus literarium aliquod munuscu-  
 lum in ornamentum scholae tuae conferre. Itaque duos hos nouos  
 De copia commentarios nouae scholae nuncupare visum est, opus  
 45 videlicet cum aptum pueritiae, tum non infrugiferum, ni fallor, fu-  
 turum. Sed quantum habeat eruditionis, quantumue<sup>2</sup> sit vtilitatis  
 allaturus hic labor meus, aliorum esto iudicium. Illud vere mihi  
 sumere possum, argumentum hoc a me primum et excogitatum et  
 proditum fuisse. Nam quod Julius Pollux, Graecus et antiquus au-  
 50 tor, singularum rerum vocabula per locos digessit, et synonyma  
 quaedam ac finitima velut in aceruos congessit, quis non videt  
 quam id sit a nostro instituto alienum? Neque enim Isidoros, Ma-  
 rios aut Philiscos libet commemorare, homines in tantum alienos  
 a copia, vt ne semel quidem quae sentiunt Latine possint efferre.

55 Iam vero libellus ille qui Ciceroni inscribitur (ego magis ab aliquo  
 Ciceronis studioso ex illius scriptis collectum arbitror), quaeso  
 quid aliud habet quam tumultuarium paucarum vocum conge-  
 riem? Nos formulas quasdam copiae ceu fontes ostendere sumus  
 60 conati, sic vt a generalibus per gradus ad particulares deuenire-  
 mus. Quanquam et fateor et doleo huic operi iustum curam defuisse,  
 siquidem olim rudem materiam in futurum opus temere con-

<sup>2</sup> Leggiamo *quantumque*.

mentre  
 più vol-  
 tutto il  
 mettere  
 questo  
 dei tuoi  
 te stess-  
 stirpe si  
 gnarli a  
 risca m-  
 chi recl-  
 cerchi d

In ve-  
 e anche  
 qualche  
 scuola. I  
 due nuo-  
 alla fanc-  
 ta erudiz-  
 di altri s-

Mi po-  
 mo è sta-  
 tore Gre-  
 gole cos-  
 chio, chi  
 mi va di  
 la facond-  
 che sento  
 piuttosto  
 scritti), c  
 di poche  
 genti di f-  
 colari. Se-  
 ra la cura  
 riflession

gesseramus, ad quam expoliendam plurimis vigiliis, plurimorum autorum lectione videbam opus fore; itaque non admodum erat in animo aedere.

<sup>65</sup> Verum cum intellexisset quosdam his commentariis insidiari, parumque abfuisse quin incastigatissimos etiam aediderint, coactus sum vtcunque emendatos in lucem emittere. Nam id malum visum est leuius. Bene vale, Colete optime.

Londini, Anno M.D.XII. III Cal. Maias.

<sup>70</sup> ERASMVS ROTERODAMVS MATTHIAE SCHVRERIO STLEZESTANO S.D.

Bona pars istorum qui formulis excludunt libros, Matthia Schureri, vel inscritia literarum inopiaque iudicii pessimos authores pro optimis suscipiunt, vel auiditate quaestus eum librum optimum esse ducent vnde plurimum emolumenti redditum sperent. Vnde quod caeteris in rebus fere solet, id in hac quoque arte videmus vsu venire, vt quod ad summam studiorum vtilitatem sit excogitatum, id abutentium vitio in grauem vergat perniciem. Qua quidem in re tu mihi duplici nomine laudandus videris. Primum, quod pro tua non vulgari eruditione proque acri iudicio ea deligas quae ad veram eruditionem conferant. Deinde, quod ingenuo quodam erga bonas literas amore nostris studiis potius quam tuis scriniis consulere gaudes, vnum hoc agens vt libros quam optimos, quam emendatissime excusos in lucem emittas. Proinde Copiam nostram ad te misimus, a nobis diligentissime recognitam et emaculatam, vt pri-  
<sup>75</sup> dem apud Britannos concepta, apud Parrhisios vtcunque edita, nunc rursus velut abiectis exuuiis nitida prorsus et expolita, in foelicissima Argentoratorum ciuitate foeliciaribus auspiciis exeat in manus hominum, si modo videbitur non indigna tuo praelo. Erit vel ob id ipsum omnibus bonarum literarum amatoribus commendatior, quod e Schureriana prodierit officina. Ex qua iam persuasum est nihil proficiisci quod non sit  
<sup>80</sup>  
<sup>85</sup>  
<sup>90</sup>

per rifinire la  
plici veglie, e  
intenzione di  
insidiavano q  
anche oltrem  
qualche mod  
bene, ottimo C

Londra, Anno

Erasmo da R

Buona part  
Schürer, anche  
dizio prendono  
considerano ot  
to. Quindi ciò  
ciò anche in q  
utilità degli stu  
fa cattivo uso.  
plice ragione. I  
giudizio acuto  
In secondo luog  
tere ti compiac  
che facendo sol  
modo correttiss  
noi molto dilig  
concepita press  
rigin, ora nuov  
tamente nitida  
più felici auspic  
indegna del tuo  
manti delle bu  
Dalla quale si ri

et authoris elaboratum ingenio et tua cura castigatissimum. Adie-  
cimus et *Oμοιώσεων* librum, nusquam adhuc editum, sed ab ipsis,  
quod aiunt, follibus ad te profectum.

<sup>95</sup> Lucubrationes Rodolphi Agricolae, hominis vere diuini, iamdu-  
dum expectamus, cuius ego scripta quoties lego, toties pectus il-  
lud sacrum ac coeleste mecum adoro atque exoscular. Bene vale.

Basileae: Ann. M.D.X.III. ad Idus Octob.

altrettanto elabo-  
dalla tua dilige-  
nonimi)<sup>3</sup>, in nes-  
come dicono, m-

Già da temp  
uomo verament  
quel petto sacro

Basilea Anno 15

<sup>3</sup> A nostro parere  
no esposte formule e

<sup>4</sup> Le elaborazioni  
*dialectica*.